



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BAREILLENIS**\* DIOECESI DISMEMBRATA  
LUCKNOVENSIS,  
NOVA CONDITUR ECCLESIA BAREILLENIS APPELLANDA

Indorum inter gentes augeri conspicimus et catholicum nomen feliciter ibi prosperari. Quod quidem Nos tum maxima afficit laetitia tum eadem opera inducit pro immutatis condicionibus ad disponendas commodius res. Quocirca iis quorum interest rogatis sententiam, consentiente quoque Venerabili Fratре Augustino Cacciavillan, Archiepiscopo titulo Amiternino atque in India Apostolico Pro-Nuntio, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Congregationi pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide praepositorum, Apostolica Nostra usi potestate, quae sequuntur decernimus et iubemus. Sex civiles ditiones, scilicet Naini Tal, Almora, Pitoragarh, Bareilly, Shajahanpur et Pilibhit, adhuc ad sedem pertinentes Lucknovensem, ab eadem separamus, quae deinceps novam formabunt dioecesim *Bareillensem* cognominandam. Nuper conditam Ecclesiam metropolitanae sedi Agraënsi suffraganeam facimus eiusdemque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Agraënsis pro tempore subicimus. Cathedram autem Episcopi in templo ponimus D. O. M. in honorem Sancti Alfonsi dicato eodemque in urbe Bareilly posito. Ad ea subinde explenda quae per has Litteras Nostras statuimus Venerabilem Fratrem Augustinum Cacciavillan, quem supra memoravimus, legamus, factis facultatibus necessariis etiam subdelegandi quemvis virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Re tandem ad finem perducta, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide sollicitè mittantur. Contrariis rebus nihil obsistentibus. Haud sumus nescii denique gentes has multum longeque religionis sensu praestare. Ob hanc quidem rationem et mentem catholica fides, quae est vera religio, explicare se potest effusius copiosiusque. Quocirca magna Nos tenet spes communitatem hanc novellam Bareillensem celeriter adultam fore et eam laetas segetes allaturam.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo nono, Pontificatus Nostri undecimo.

AUGUSTINUS card. CASAROLI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

IOSEPHUS card. TOMKO  
*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. LXXXI (1989), n. 7, pp. 812-813

© Copyright 1989 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana